



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. VI. An illud imperium voluntatis sit specialis virtus ab illis distincta, &
an requirat particularem habitum infusum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

*An illud imperium voluntatis sit specialis
virtus ab alijs distincta, & an requirat
particularem habitum infusum?*

54
Turrian.

D. Thomas.

Primò, quidam recentiores apud Turrianum disput. 37. dub. 4. docent, hunc actum non pertinere ad aliquam particularem virtutem. Primò, quia antiquiores Theologi non videntur hic aliquam particularem virtutem agnovisse. Secundò, quia cum S. Thomas sæpè faciat mentionem huius actus, numquam docet eum ad particularem virtutem pertinere: imò 2.2. q. 4. a. 7. vbi docet, fidem esse primam virtutem, cum in quinto argumento sibi obiecit in actu fidei actum voluntatis, quem perficit caritas, præcedere actum intellectus, & consequenter habitum caritatis debere præcedere habitum fidei, responderet, actum voluntatis præexigi ad fidem, non tamen præexigi actum caritatis informatum. Quæ responsio non fuisset sufficiens, si putasset illum actum voluntatis pertinere ad particularem virtutem: debuisset enim hoc explicare. Confirmatur, quia D. Thomas ibid. a. 5. docet, informem fidem non esse perfectam virtutem; quia, etsi habeat perfectionem debitam ex parte intellectus, non tamen ex parte voluntatis: ergo sentit huic non inesse habitum. Tertiò, quia ex contraria sententia sequeretur, actum reflexum, quo quis vult elicere actum internum, v. c. temperantiæ aut similem; item actum, quo quis vult elicere actum prudentiæ, pertinere ad particulares virtutes: hoc autem est absurdum: ergo & illud vnde sequitur. Quartò, ad amandum honestum in genere, non datur peculiaris virtus: ergo nec ad volendum elicere actum fidei. Quintò, quia ad imperandam fidem humanam non datur peculiaris virtus aut habitus in voluntate: ergo nec ad imperandam fidem theologicam siue supernaturalem. Sextò, quia intellectio siue cognitio non habet ex se peculiarem honestatem, nec est per se expetenda; sed solum quatenus est utilis ad aliquem alium finem honestum: atqui assensus fidei est quædam cognitio: ergo non habet ex se peculiarem honestatem.

55

A. Bor. 6.
Rom. 1.
2. Cor. 10.
D. Thomas.

Secunda opinio docet, hunc actum pertinere ad obedientiam. Primò, quia dum credimus, dicimur obedire fidei, & captivare intellectum in obsequium Christi, Actor. 6. v. 7. ad Rom. 1. v. 5. & 2. ad Corinth. 10. v. 5. Secundò, quia D. Thom. 2.2. q. 4. a. 7. cum in secundo argumento obiecit sibi assensum fidei provenire à voluntate obediendi Deo, in responsione id non negat: & consequenter videtur id admittere.

Alij volunt hunc actum pertinere ad virtutem studiositatis, cuius est moderari appetitum sciendi. Alij eam referunt ad virtutem religionis, quos citat Turrianus supra.

Turrian.

Vt autem hæc possumus definire, prius nobis disputandum est, an ipse assensus fidei contineat in se particularem honestatem, sicut ieiunium, eleemosyna, similesque externi actus

virtutum propriam siue specialem honestatem continent.

CONCLVS. I. Omnino dicendum est, assensum fidei continere in se particularem honestatem, sicut alij actus externi virtutum eam continent; ob quam honestè & laudabiliter potest per se expeti. Ita Bañez 2.2. q. 1. a. 4. dub. 2. Bañez. conclus. 1. vbi ait actum fidei formatum caritate esse meritum, non solum ab extrinseco, siue ratione relationis ad finem honestum extrinsecum; sicut actus scientiæ potest esse meritorius; sed ab intrinseco & ex proprio obiecto. Quod dici nequit, nisi ex proprio obiecto sit honestus. Eandem tenent Auctores secundæ & tertiæ sententiæ, omnesque quos citabo concl. vltima.

Probatur Primò, quia ille actus qui per se laudabilis est, per se etiam est honestus & expetendus: atqui assensus fidei theologicæ est talis: ergo per se est honestus. Maior est clara, quia nihil potest per se esse laude dignum, quod secundum se non est honestum. Minor probatur, quia fides sæpissimè in Scriptura singulariter laudatur; Matth. 8. & Luc. 7. Christus miratur & laudat fidem Centurionis; & Matth. 15. laudat fidem mulieris Cananæ; Actor. 6. vers. 6. laudatur in S. Stephano, quod fuerit plenus fide. Item ad Hebræos 11. Apostolus totum capitulum in laudanda fide antiquorum Patrum. Et similiter Patres passim supradictorum fidem miris laudibus efferunt: ergo fides est secundum se laudabilis. Item quod alicui reputatur ad meritum & iusticiam, debet esse honestum: atqui illud continetur fidei: ergo & hoc. Minor patet, cum alibi sæpius, tum expresse Genes. 5. & ad Roman. 4. vbi dicitur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam.*

Idemque sæpius docet D. Augustinus, tum alibi, tum in epist. 105. aliquanto post initium; vbi ait, *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine merito est, si fides hanc impetrat: neque enim nullam est fidei meritum, &c. & infra: Restat igitur ut ipsam fidem vnde omnis iustitia sumit exordium, &c.* Et deinde docet, fidem debere dici gratuitum Dei donum, nec posse præcedere gratiam, sed eam necessario sequi, quia alias gratia daretur ex meritis. Additque etiam ipsam fidem, cum sit meritoria, inter bona opera computandam esse.

Vbi Nota, D. August. ibi refutare eos qui distinguunt fidem ab alijs operibus bonis, fa-
tebantur ad hæc omnia necessario prærequiri gratiam; hanc tamen dari credentibus proprio arbitrio; atque ita fidem præcedere omnem gratiam. In quo errore ipse etiam Augustinus aliquando fuerat ante sacerdotium: ut patet ex c. 3. l. 1. de Prædest. Quare cum hic fidei tribuit meritum, vocatque eam opus bonum & initium iustitiæ, accipit fidem prout distinguitur ab omni alio opere bono, & consequenter ipsam fidem secundum se vult esse opus bonum & meritorium, aut de condigno aut de congruo, secundum statum operantis.

Dices, hæc omnia dici de fide ratione affectus honesti, quo imperatur & in finem honestum refertur. Sed contra Primò, Per illum affectum

56

Matth. 8.
Luc. 7.
Matth. 15.
Actor. 6.
Hebr. 11.

57
August.

58

fectum vel imperatur assensus fidei propter honestatem sibi intrinsecam, sicut per temperantiam imperatur ieiunium; & sic erit intrinsecè & propria honestate honestus: vel solum appeti potest propter finem extrinsecum honestum; & sic fides non magis erit laudabilis, meritoria, aut reputabilis ad iustitiam, quam ambulatione, aut matheſis, similis scientia. quod aperte Scripturæ, Patrumque testimonijs repugnat, qui longè aliter eam laudant, quam possit matheſis iure laudari.

59
Ex eo quod aliquod opus in Scripturis laudatur, rectè colligitur secundum se esse bonum.

Secundò, quia inde sequeretur, ex eo quod aliquod opus in Scripturis multum laudatur, ac nobis commendatur ac suadeatur, nos non posse colligere illud secundum se esse honestum; sed solum ex se esse indifferens, siue non malum, atque ita tale, quod ad honestum finem possit referri: hoc autem aperte absurdum est: ergo & id vnde sequitur.

Maiores patet, quia secundum illam responsionem ex eo quod fides ita laudatur, non colligitur eam secundum se esse honestam ac opus bonum; sed solum quod possit referri ad finem honestum, & sic denominatione extrinseca esse honestam: quod omni operi externo ex se indifferenti conuenit. Minor probatur, quia ex eo quod voluntaria paupertas & perpetua castitas in Evangelio laudantur ac commendantur, optimè omnes Catholici contra nostros hæreticos colligunt ea habere propriam honestatem, siue ea secundum se esse honesta & expetenda; quæ tamen collectio secundum aliam sententiam esset falsa, nec ex Evangelio magis possemus probare dicta opera secundum se esse bona & honesta, quam ambulationem secundum se esse bonam; quia etiam hæc relata ad finem bonum esset bona.

60
Tertiò, quia D. Augustinus suprà docens fidem esse opus bonum & meritorium, ac initium iustitiæ, expressè loquitur de fide, prout distinguitur ab alijs operibus bonis, tam internis quam externis, ut patet ex dictis; quod tamen esset falsum secundum aliam sententiam: quia secundum eam fides secundum se sumpta non esset opus bonum; sed solum ratione alterius actus boni, quo ad finem extrinsecum honestum refertur.

61
Vbi Nota, quando actio externa habet propriam honestatem & propter eam expetitur, tunc actum internum & externum simpliciter pertinere ad eandem virtutem, & constituere actum simpliciter & absolute vnum in ratione virtutis; vnde etiam externus actus tunc dicitur meritorius & honestus simpliciter & sub proprio nomine, & quatenus ab omni alio opere distinguitur. v. c. impero mihi actum externum temperantiæ ex virtute temperantiæ; etiam hic actus externus non sit formaliter honestus & meritorius, nisi ratione actus interni; tamen secundum se, & quatenus est actus temperantiæ, & ab omni opere alio bono distinctus, dicitur simpliciter & absolute meritorius ac honestus. secus autem est quando externus actus imperatur ob finem honestum extrinsecum, siue secundum se sit honestus, siue non. Vt si imperem mihi actum externum temperantiæ,

aut aliquam actionem ex virtute religionis, siue ut possim melius ieiunare aut in templo orare. tunc enim hi actus non sunt propriè meritorij & honesti, quatenus sunt actus temperantiæ aut itio, & distincti ab alio opere bono; sed quatenus sunt actus religionis: & consequenter ratione operis boni distincti ab opere temperantiæ & ambulationis, siue itionis.

Idemque secundum aliam sententiam dicendum esset de actu fidei, nam secundum eam fides solum esset honesta & meritoria ratione alterius operis ad distinctam omnino virtutem pertinentis: v. c. ratione actus spei, caritatis, religionis, aut alterius virtutis à quo imperaretur. & consequenter non esset bonus quatenus est actus fidei, nec eam eliciens propriè meretur per actum fidei, sed per actum religionis, aut caritatis, & c. nec credens esset absolute laudandus propter fidem, siue quia credit; sed propter actum religionis aut caritatis, siue quia credit ex affectu caritatis aut religionis. Sicut vadens ad templum orandi causa, non laudatur propriè quia ambulat, sed quia orandi causa ambulat, nec propriè & per se laudatur in eo ambulatio, sed desiderium orandi.

63
Secundum nostram verò sententiam voluntas imperat assensum fidei propter propriam honestatem, & ita uterque actus, tam voluntatis quam intellectus, est simpliciter via virtutis & actus fidei: & uterque quæ actus fidei, est honestus & meritorius. hinc Patres & Concilia (& ex eorum imitatione communiter etiam Theologi) utrumque actum vocant actum fidei, & dicunt nos per utrumque actum credere. vi expressè patet ex Arausicano citato n. 47. ubi ait, *Ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, & c. ostendens nos ipso affectu credere.* Similiter August. de Spiritu & lit. c. 12. *Sed consequens est paulatim querere utrum voluntas, quæ illa credimus, etiam ipsa donum Dei sit.* Quæ omnia falsa essent secundum aliam sententiam: nam sicut actus religionis imperans ambulationem aut ieiunium, non potest dici ambulatione aut actus temperantiæ; ita actus alterius virtutis imperans assensum fidei ob finem huic extrinsecum, nequit dici actus fidei.

64
Probatur conclus. Secundò, quia id, quod per se directè ad honorem Dei spectat, per se est honestum & laudabile: atqui assensus fidei est talis: ergo per se est honestus & laudabilis. Maior clara est; quia sicut non potest non esse honestum honorare Deum, ita non potest non esse honestum id, quod per se & directè est honorarium Dei. Minor probatur, quia per assensum fidei subijcio absolute meum iudicium auctoritati Dei, eius testimonio firmissimè adharendo, atque ita implicite testor eum esse primam veritatem, cuius testimonio plus debeas credere, quam ulli euidentiæ, quæ naturaliter haberi possit: quod per se patet ad honorem Dei spectare, sicut ad honorem alicuius hominis per se spectat, si ipsius testimonio plus credam, quam testimonijs multorum aliorum, aut etiam proprio meo iudicio. Et confirmatur: quia sicut per se honestum est laudare Deum, ita etiam per se honestum est explicite dicere siue

Patres & Concilia actum voluntatis vocant fidem, dicuntque nos per eum credere, quia fidem imperat.

August.

ue testari Deum esse primam veritatem, cui firmissimè in omnibus debeas credere; quia hoc est laudare Deum; ergo similiter per se honestum est implicite id testari, prout facit qui assensum fidei elicit.

65 Probatur Tertio, quia sicut per se & intrinsecè homini honestum est subijcere suam voluntatem divinæ, huic contra propriam inclinationem obediendo; ita eidem per se & intrinsecè honestum est subijcere suum iudicium divino, Dei testimonio firmissimè contra propriam inclinationem credendo, atque ita intellectum in obsequium fidei captivare. Item sicut per se homini honestum est per voluntatem summo bono firmiter adherere, ita eidem per se honestum est summæ veritati per intellectum firmissimè adherere; est enim par in utroque ratio: atqui per assensum fidei Dei iudicio ac testimonio meum intellectum ita subijcio, & summæ veritati firmissimè adhareo: ergo talis assensus per se & intrinsecè est honestus.

66 Dices, hinc solum sequi, assensum fidei esse honestum, quatenus elicitur ut per eum nostrum intellectum subijciamus divinæ auctoritati, ac primæ veritati firmissimè adhareamus, secus autem esse de eo assensu quatenus est præcisè quædam cognitio; quod alij solum contendunt. Confirm. quia, ut dicitur Iacobi 2. dæmones habent fidem: ergo hæc non est actus virtutis.

IAC. 2.

Respondetur, ut assensus fidei sit in se intrinsecè honestus, non est opus quod sit honestus quatenus est quædam cognitio in genere (nam nec actus caritatis est honestus quatenus est quædam volitio in genere) sed sufficit quod sit honestus quatenus est cognitio talis speciei, quæ dicta ratione intellectum divinæ auctoritati subijcimus, ac primæ veritati firmissimè adharemus; quod fides ex se ac intrinseca sua ratione habet. Ad confirm. Resp. dæmones non habere fidem propriè dictam: ut ostendam disput. 27. dub. 2.

Ex his patet hanc conclusionem esse omnino evidentem & certam; nec eam negari posse, nisi improbemus communem modum loquendi Theologorum, Patrum, Conciliorum, ac ipsius Scripturæ, ut patet ex dictis. atque adeo non video quomodo contrarium possit rationabiliter defendi, præsertim cum nullo nitatur fundamento, ut patebit in solutione argumenti sexti; unde etiam non memini me videre auctorem impressum qui eam neget, quamvis quidam aliqua parum ei consona doceant. hæc autem conclusionem posita reliquæ videntur evidenter sequi.

67 CONCLUSIO II. Actus voluntatis quo assensus fidei propter se, siue sine vlla relatione ad finem extrinsecum imperatur, habet specialem honestatem. hanc tenent Bañez & Auctores citandi pro 6. conclus. & sequitur aperte ex conclus. 1. Quia omnis actus voluntatis, qui fertur in obiectum specialiter honestum, quæ tale est siue propter se, habet specialem honestatem: atqui actus voluntatis quo assensus fidei propter se imperatur, est talis: ergo habet specialem honestatem. Maior clara est, quia, ut docet D.

Bañez.

D. Thomas. Thom. 1. 2. q. 18. a. 2. & cū eo cōmuniter Theo-

logi, actus morales accipiunt speciem bonitatis aut malitiæ ab obiectis. Minor etiam aperte sequitur ex conclus. prima. Quia cum assensus fidei habeat specialem honestatem, quatenus per eum firmissimè adharemus primæ veritati, subijciendo ei nostrum iudicium; voluntas quæ eum ut talem propter se imperat, necessario fertur in eum quæ specialiter honestum.

CONCLUSIO III. Hic actus voluntatis non est propriè studiositas, nec ad hanc virtutem propriè pertinet. Probatur, quia studiositas est moderari appetitum discendi, ne vel nimis sit vel nimis remissus; sed per eum actum voluntatis non moderatur appetitum discendi res fidei, nec etiam per eum cupimus has moderare aut etiam simpliciter discere: sed hic actus supponit nos iam sufficienter res fidei didicisse, inclinaturque intellectum ut iis sufficienter per studium cognitum immediate ob Dei testimonium assentiamur. Quare studiositas solum moderatur appetitum discendi mysteria fidei, vel ea legendō vel ab aliis audiendo, aut notas fidei examinando, ne in his nimis aut nimis remissus sumus.

Dices, Voluntas potest peccare, aut nimis leniter imperando assensum fidei siue sufficienti evidentiæ credibilitatis obiecti, aut nimis tardè eum imperando posita sufficienti evidentiæ credibilitatis: ergo virtus studiositatis debet illud imperium moderari. Respondetur negando consequentiam, quia in neutro ex dictis casibus voluntas peccabit contra studiositatem, sed contra prudentiam: cuius est dirigere voluntatem ne nimis levis aut tarda sit in credendo: & consequenter peccabit contra virtutem fidei, quæ nos obligat ut prudenter credamus, & consequenter nec nimis leniter, nec nimis tardè. Potuit tamen ante peccasse contra studiositatem nimia negligentia in rebus fidei addiscendis; sed hoc peccatum est distinctum ab eo, quod committit nimis leniter vel nimis tardè credendo. Sicis qui nimis leniter credit rem aliquam esse suam, & ut talem eam consumit, cum sit aliena, potuit ante peccasse contra studiositatem negligendo veritatem addiscere; præcisè tamen ita credendo peccat solum immediate contra prudentiam, & consequenter contra iustitiam, quatenus imprudens ille assensus est causa actus iniusti. Idemque etiam est in materiis speculativis: nam qui nimis leniter assentitur alicui opinioni, non peccat contra studiositatem; imò heri potest, ut sufficiens & quantum studiositas exigit studium veritati cognoscendæ adhibuerit, & non potuerit tamen eam cognoscere, aut sufficientes rationes reperire ad prudenter siue rationabiliter assentiendum illi opinioni, cui imprudenter siue irrationabiliter assentitur.

CONCLUSIO IV. Hic actus non est propriè actus religionis, aut obedientiæ: quia religio fertur in actum externum, quatenus hic est quædam attestatio honoris Deo debiti, siue exhibitio cultus Deo debiti. Item obedientia vult aliquem actum, quia præceptus est: dicta autem voluntas non imperat assensum fidei, quia est attestatio siue exhibitio cultus Deo debiti, aut qua-

68

Studiositas officium.

69

Citius, aut tardius qui debeat credens peccat propriè contra prudentiam ac virtutem fidei.

Communitatem tamen prius peccat ut contra studiositatem.

70

Quare illa voluntas non sit religio, aut obedientia.

quatenus est impleratio precepti; siue ut cultum Deo debitum exhibeat, aut preceptum impleat: sed ut prima veritati adhaereat, idque propter propriam honestatem, quae in hoc reperitur.

Nec refert, quod hac ratione suo facto implicite testetur Deo summam hac in parte reverentiam debere, eiusque preceptum impleat: quia hinc solum sequitur, hunc actum esse materialiter actum religionis & obedientiae: siue eum aptum esse, qui ex virtute religionis aut obedientiae imperetur, vide D. Thom. 2.2. q. 4. a. 7. ad 3.

Est tamen hic actus vicinus virtuti religionis & obedientiae, quia & per se cedit in cultum & honorem Dei, & est quaedam implicita huius attestatio; & sicut per obedientiam subiicimus nostram voluntatem voluntati alterius, ita per fidem subiicimus nostrum intellectum alterius intellectui siue iudicio, hinc etiam Scriptura, ut patet ex dictis n. 30. dicit nos per eum actum voluntatis obedire fidei, & quidam eam vocant obedientiam fidei.

CONCLUS. V. Dicitur actus voluntatis pertinere ad specialem virtutem distinctam ab omni virtute alia morali. Patet, quia, ut iam ostenditur, fertur in obiectum sub speciali ratione honesta, distincta ab omni formalis obiecto reliquarum virtutum moralium. Et quamvis, quia non fertur immediate in Deum ut in obiectum, sed in ipsum assensum fidei, secundum se spectatus non sit virtus theologica: tamen quia per se necessario coniunctus est cum assensu fidei, & honestatem huius intrinsecam respicit, eumque tamquam moralis quaedam forma in genere moris informat, ac ei rationem liberi & menti tribuit: ideo unus cum eo censetur actus, ac eadem virtus; & ideo etiam a Scriptura, Conciliis, Patribus, & antiquioribus Theologis nominatur actus fidei intelligitur ac appellatur, ac tamquam ad virtutem fidei spectans recensetur.

Vide etiam D. Bonaventura mox citandus, & quidam antiqui Theologi apud eum, utrumque habitum, tam quo elicitur actus intellectus, quam quo elicitur actus voluntatis, dicunt esse unum eundemque habitum, qui sit in utraque potentia, non quod hunc habitum physicè loquendo velint esse unum ac omnino simplicem (hoc enim clarè rationi, & eorum intentioni ac etiam contextui, & exemplis quae adferunt aperte repugnat, ut patet apud D. Bonaventuram) sed quia moraliter & in ratione absolutè virtutis est unus idemque habitus, iuxta iam dicta.

CONCLUSIO VI. Ad imperandum assensum fidei datur in voluntate specialis habitus infusus. Hanc aperte tenet Richardus in 3. d. 23. a. 6. q. 1. dicens esse multorum sententiam, verba eius sunt: Dicunt enim multi, quod ad hoc quod intellectus eliciat actum fidei informem, non tantum requiritur habitus existens in ipso, ipsum determinans ad actum credendi elicendum, sed etiam aliquis habitus informis in voluntate ipsam determinans ad praedictum actum imperandum. Quam sententiam ibi deinde approbat. Eandem aperte tenet S. Bonaventura ibid. a. 1. q. 2. dicens esse multorum doctorum clericorum, licet ipse obscurius loquatur, dicens

eundem fidei habitum simul esse in voluntate & intellectu. Sed quomodo intelligendus sit explicui n. 72. Idem docet Alexander Alensis p. 3. q. 78. memb. 3. ubi citans verba Hugonis à S. Victore l. 1. de Sacramento fidei, p. 10. c. 3. docet, fidem secundum substantiam esse in affectu, secundum materiam in cogitatione. Vbi uterque praecipuam rationem fidei, & quatenus habet rationem virtutis, ponit in voluntate, aitque Alexander multorum esse hanc sententiam. Idem docet Molina in sua Concord. disp. 8. Suarez 3. p. tom. 1. q. 7. in explicatione a. 3. Lorca 2.2. disp. 25. Valentia ibidem disp. 1. q. 1. puncto 4. dub. 1. in respons. ad 3. argumentum. Medina de Recta in Deum fide l. 4. c. 2. quamvis hi duo ultimi dicant hunc habitum esse virtutis obedientiae, aut prudentiae, quare in hoc à nobis dissentiunt: Eandem conclusionem nobiscum tenent multi recentiores.

Eadem omnino videtur sententia D. Thom. qui 2.2. q. 4. a. 2. expresse docet, ex eo quod actus fidei procedat tam à voluntate imperante quam ab intellectu eum eliciente, necessarium esse ad hoc ponere in utraque potentia aliquem habitum: & videtur hic aperte loqui de habitu speciali, & ab aliis distincto, prout eum etiam intellexit Scot. in 3. d. 2. q. 2. nec unquam alibi hoc negat, aut hunc habitum eum caritate confundit; quamvis aliquibus locis minus explicitè loquendo dederit aliquibus occasionem id eo suspicandi. Sed cum hoc loco, ubi rem ex professo tractat, expresse dicat ipsam fidem ex se aliquem habitum requirere tam in voluntate quam in intellectu; aperteque in sinuet, sicut requiritur particularis habitus in intellectu, ita etiam particularem requiri in voluntate: sicubi a libi ex occasione huius rei mentionem faciens obscurius loquatur, haec verba potius per supra citata explicanda sunt, quam contrà. Ex quibus patet, hunc habitum non esse veteribus incognitum à recentioribus excogitatum.

Dices, antiquos requisivisse quidè aliquem habitum in voluntate imperantem actum fidei, non tamen distinctum ab habitibus aliarum virtutum. Sed hoc dici nequit: quia Auctores citati vocant eum habitum, ut Bonaventura; ac determinantem voluntatem ad imperandum assensum fidei, ut Richardus, quod nequit convenire habitibus aliarum virtutum, quae non determinant siue inclinant voluntatem nisi ad eliciendos actus sibi proprios. Item dicunt habitum esse infusum, & manere informem in peccatore, ut patet ex Scoto & Richardo; quod secundum omnes convenit soli habitui fidei & spei, quare ad imperandum actum fidei aut praerequirunt habitum spei, quod eorum verbis non congruit, nec videtur probabile; aut aliquem habitum particulariter pertinentem ad fidem: prout nos dicimus.

Probatur conclusio una clara & firma ratione ipsius D. Thomae loco iam citato: quia quando aliquis actus pender à duabus potètijs, quarum utraque est naturaliter impotens ad eum elicendum, necesse est ut utraque perficiatur siue eleuetur supernaturaliter ut fiat potens eum elicere: atqui in praesenti casu tam voluntas est naturaliter

D. Thom.

illud imperium est simile religioni & obedientiae.

Actus imperans assensum fidei censetur cum hoc voluntas ac idem actus, & sub nomine fidei comprehenditur.

71

Actus imperans assensum fidei censetur cum hoc voluntas ac idem actus, & sub nomine fidei comprehenditur.

72

S. Bonau. Qua ratione antiqui Theologi dixerint habitum quo assensum fidei elicitur, & quo imperatur, esse unum.

73

Richard.

Bonavent.

Alensis. Hugo.

Molina. Suarez. Lorca. Valentia. Medina.

74 D. Thom.

Scoti.

75

raliter impotens ut eliciat actum imperantem assensum fidei diuinæ, quam intellectus sit impotens hunc elicere: ergo sicut hic indiget perfici habitu infuso ut fiat intrinsece potens elicere actum, ita etiam illa indiget infuso habitu ut ab intrinseco sit potens elicere suum actum. Minor patet ex dictis dub. 5. ubi ostendi illud imperium esse in substantia supernaturale. Quod autem hic habitus debeat esse virtus specialis ac distinctus ab alijs habitibus voluntatis, patet ex dictis. quia, ut iam ostendi, eius actus est specialis virtus, & ipse fertur in obiectum formale distinctum ab omni obiecto formalium virtutum voluntatis. Ex quibus secundum communem sententiam sequitur, ipsum esse specialem virtutem: quia virtus ab obiecto suo formali sumit speciem.

76 Confirmatur, quia fides manet in peccatore etiam de salute desperante, in quo alii habitus infusi non manent: & consequenter sicut habitus intellectus, ita etiam habitus voluntatis manere debet, ut peccator fidelis sit intrinsece potens elicere actum fidei: nulla est enim ratio cur dicamus talem potius debere manere secundum intellectum intrinsece potentem elicere actum fidei, quam secundum voluntatem. Si autem concedatur talem manere etiam secundum voluntatem intrinsece potentem elicere actum fidei, necessario dicendum est eum retinere habitum proprium fidei in voluntate, præsertim si amiserit habitum spei: quia nullus alius habitus infusus in eo remanet.

Possent hæc pluribus probari, sed posita veritate conclusionis 1. & 2. siue quod ille actus voluntatis sit specialis virtus, & in substantia supernaturalis, clarè sequitur, ad eum elicendum ponendum esse habitum specialem infusum in voluntate, à quo eliciatur: quæ magis patebunt ex solutione obiectorum.

77 Ad primum argumentum positum n. 54. nego assumptum: est enim aperte falsum, ut patet ex dictis.

Ad secundum, nego assumptum; nam, ut ostendi num. 74. ipse satis aperte docuit nostram sententiam. Ad rationem allatam ex 2. 2. q. 4. nego ex dictis sequi, eius responsionem fore insufficientem: nam cum argumentum solum probaret caritatem debere præcedere habitum fidei, ad D. Thom. propositum sufficiebat ostendere hoc non sequi; an autem alius aliquis habitus infusus deberet poni in voluntate prius quam in intellectu, non erat opus ibi expressè dicere; quia ad solutionem argumenti non erat necessarium, cum sanctus Doctor ibi solum vellet docere, nullum habitum infusum præcedere habitum fidei, sub quo comprehendit dictum habitum voluntatis, quem antiquiores communiter vocant habitum fidei. Ad confirm. ne-

go consequentiam. nam ibi non agit de habitu requisito ad imperandum assensum fidei; sed de requisito ut ille possit dirigi in Deum tamquam in ultimum finem, siue ut actus fidei possit habere statum perfectæ virtutis, & esse meritorius vitæ æternæ.

Ad tertium, nego utramque partem maioris; quia ad elicendum actum reflexum sufficit habitus, quo elicitur actus directus, si uterque ob eandem honestatem eliciatur: si alter autem eliciatur ob aliam honestatem, tunc sufficit habitus virtutis, ad quam hæc honestas spectat, quia ille erit actus huius virtutis. ut, cum volo elicere actum temperantiæ, ut placeam Deo, illa volitio est actus caritatis. Similiter cum volo elicere actum prudentiæ, illa voluntas spectat ad virtutem circa cuius materiam actus prudentiæ versatur, cum huius honestas sit ea ipsa honestas, ob quam ille actus prudentiæ est expectendus: cum enim actus veræ prudentiæ semper versetur circa materiam particularem alicuius virtutis, ad quam debet appetendam naturam suam ordinatur, semper participat honestatem illius virtutis, & propter eam est intrinsece honestè appetibilis.

Ad quartum, quidquid sit de anteced. nego consequ. Quia qui negant requiri particularem habitum ad volendum honestum in genere, idè id negant, quia in eo non reperitur particularis difficultas. In præsentem verò casu cum hic actus habeat specialem honestatem, ideoque specialis sit virtus, & in substantia sua supernaturalis, habet singularem difficultatem, superantem voluntatis vires, ideoque speciali habitu indiget.

Ad quintum, nego consequentiam: quia, ut ostendi dub. 4. concl. 4. fides humana non indiget actu voluntatis, quo imperetur, nec est in substantia supernaturalis: cum in utroque contrarium dicendum sit de fide theologica.

Ad sextum, Respondeo Primo, etiam alia cognitiones non haberet peculiarem honestatem, id tamen falsum fore in actu fidei, ut ostendi concl. 1. Respondeo Secundo, multas etiam alias cognitiones, præsertim practicas, & quibus ea quæ ad Deum & præcipua mysteria fidei spectant, naturali cognitione sciuntur, esse etiam intrinsece honestas: per se enim honestum & expectandum est hæc scire; nec video qua probabilitate hoc possit negari. Sed non est opus hæc pluribus probare; solum addam hæc auctoritatem S. Augustini, qui lib. de Bono coniugal. c. 9. initio expressè docet, sapientiam propter se expectandam esse, & doctrinam (quam nimirum docemur) expectandam propter sapientiam. Si autem sapientia propter se expectanda sit, patet ex se esse honestam, quia sola honesta merentur propter se expecti.

78
Cur voluntas eliciat actum prudentiæ non sit specialis virtus.

79

Multæ cognitiones habent specialem honestatem.

August. sapientia per se expectanda.